Quelle: http://manuscripta.at/?ID=376
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



Sicut mandauit ei in sermone domini dicens. Non comedes panem neque non bibes aquam in loco isto.

III.

162

Respondit quoque uir dei ad regem. Si dederis mihi medietatem domus tuae non ueniam tecum nec comedam panem nec bibam aquam in loco isto. Nec reuerteris per uiam qua uenisti. Abiit ergo per aliam uiam. Et non redeuit per uiam qua uenerat in bethel. Prophetes autem quidam senex habitabat in bethel. ad quem uenerunt filii suii. et narrauerunt ei omnia quae fecerat uir dei hodie in bethel. Et uerba quae locutus fuerat ad regem narrauerunt patri suo. Et dixit eis pater eorum. Quam uiam abiit. Ostenderunt ei filii sui uiam quam abierat uir dei qui uenerat de iuda. Et ait filiis suis. Sternite mihi asinum. Qui cum stratuisset. ascendit et abiit post uirum dei. Et inuenit eum sedentem subter terebinthum. Et ait illi. Tu es uir dei qui uenisti de iuda. Et dixit ille. Ego sum. Dixitque ad eum. Ueni mecum domum et comedas panem. Qui ait. Non possum redire. neque ueniam tecum. nec comedam panem. nec bibam aquam in loco isto. quia locutus est dominus ad me in sermone domini dicens. Non comedes panem. neque bibes aquam ibi. nec reuerteris per uiam qua ueniens. Qui ait illi. Et ego propheta sum similis tui. Et angelus locutus est mihi in sermone domini dicens. Reduc eum in domum tuam. ut comedat panem et bibat aquam. Fefellit eum. Et reduxit eum secum. Comedit ergo panem in domo eius. et bibit aquam. Cumque sederent ad mensam. factum est sermo domini ad prophetam qui reduxerat eum. Et exclamauit ad uirum dei qui uenerat de iuda dicens. Haec dicit dominus. Quia inobediens fuisti ori domini. et non custodisti mandatum quod praecepit tibi dominus deus tuus. Et reuersus es. et comedisti panem et bibisti aquam in loco in quo praecepit tibi ne comedas panem. neque biberes aquam. non infer cadauer tuum in sepulchrum patrum tuorum. Cumque comedissent et bibissent strauit asinum suum. prophetam qui reduxerat. Qui cum abisset inuenit eum leo in uia. et occidit. Et erat cadauer eius proiectum in itinere. Asinus autem stabat iuxta illum. et leo stabat iuxta cadauer. Et ecce uiri transeuntes uiderunt cadauer proiectum in uia. et leonem stantem iuxta cadauer. Et uenerunt et diuulgauerunt in ciuitate in qua propheta ille senex habitabat. Quod cum audisset propheta ille qui reduxerat eum de uia. ait. Vir dei est. qui inobediens fuit ori domini. et tradidit eum dominus leoni. qui comminuit eum et occidit eum iuxta uerbum domini. quod locutus est ei. Dixitque ad filios suos. Sternite mihi asinum. Qui cum struisset. et ille abisset inuenit cadauer eius proiectum in uia. et asinum et leonem stantes in uia iuxta cadauer. et non comedit leo de cadauere. nec lesit asinum. Tulit ergo propheta cadauer uiri dei. et posuit illud super asinum. Et reuersus intulit in ciuitatem propheta senis. ut planger eum. Et posuit cadauer eius in sepulchro suo. et planxerunt eum. Heu heu mi frater. Cumque planxissent eum. dixit ad filios suos. Cum mortuus fuero. sepelite me in sepulchro in quo uir dei sepultus est. iuxta ossa eius ponite ossa mea. Profecto enim uenietur sermo quem pedicit in sermone domini. et altare quod est in bethel. et contra omnia fana excelsorum quae sunt in urbibus samariae. Post uerba haec non est reuersus ieroboam de uia sua pessima. sed de contrario fecit de nouissimis populi sacerdotes excelsorum. Et per hanc causam peccauit domus ieroboam. et euersa est. et deleta funditus de superficie terre. XIIII.

Ergo uolebat ipsebat manum suam. et fiebat sacerdos excelsorum